

... hac altaris participatione ✠
... filij tui corpus ✠ et sanguis ✠
... unius q̄ bene ✠ dictione celesti
... eundem dñm
... **M** ... dñe famulor
... nos precesserit
... in sapno pacis
... in xpusto q̄ melior
... ac pacis in mundu
... dñm
... **V**obis ... famulis
... in max suora
... dñe
... ac in armis
... mathia. b...



oo P. Bd.

V₉

+





ORATIVNCVLA

ex more habita post procu-
ratum funus

feminae honestissimae lectissimaq;

ELISABETHAE CVNIAE

Vxoris viri clarissimi & excel-
lentissimi

DN. D. IO ANNIS HEINII

*archiatri Illustrissimi principis ac Do-
mini Dn. VLDARICI ducis
Megapolitani. &c.*

A
BALTHASARE CAMINEO D.

Feria secunda Paschatos

Anno clv. Is. xciv.

Joan. Caselio B. Caminarius.




Typis Eichornianis.



8




 xtulimus Magnific. dn. Rector, vi-
 ri reverenda dignitate, excellenti
 doctrina, humanitate, prudentia, u-
 suq; rerum prestantes; vosq; juve-
 nes a natalium splendore & ab opti-
 marum artium studijs commendatissimi; extuli-
 mus inquam, & pio sepultura honore prosecuti su-
 mus, feminam honestam, lectissimam, primariam
 ELISABETHAM CVNIAM uxore
 rem viri clarissimi, medici optimi dn. D. IO AN-
 NIS HEINII, archiatri Illustrissimi Princi-
 pis VLDARICI ducis Megapolitani; quam
 ille cum principem suum consuetudine anniver-
 saria, & ex officio, rationeq; obligationis revisere
 vellet, paulo languidiorem domi reliquerat, mi-
 nime ratus fore, ut inde reversus videret fami-
 liam luctu atratam, domum luce viduatam, le-
 tum compare vacuum, & liberos orbitatem su-
 am gementes, plorantes.

Verum ea lege hoc mundi hospitium intra-
 vimus, ut cum Xenodocho isti magno visum fu-
 erit, inde vicissim exeamus: hac conditione pres-
 cariam lucis hujus usuram accepimus, ut appela-
 lati quovis eam momento reddamus: Ususfrua-
 tus

Etus saltem noster est, cuius tempora temperat ille, qui in possessionem illam nos misit brevem, fugacem, momentaneam. Nec enim de die hodierna quidquam nobis promittitur, qui ne horam quidem à pedisequa morte tuti sumus: Instat ea à tergo semper, cui nolis velis vacandum est, atq; hoc abest à singulis propius, quo ipsi in cursu vitæ processere longius. Quin incrementa ipsa ætatum, decrementa sunt, si bene computes.

Pueritiam enim iuventus, iuventutem senectus absorbet: Et qui ætati nostræ adijciuntur anni, vitæ detrahuntur. Quo magis mihi bene subducta ad vitam ratione esse videntur, qui quemcunque diem sibi diluxisse supremum Compositis statuunt rebus: Quiq; cum sene Comico, cum res secundæ sunt maxime, tum maxime secum meditantur, quo pacto ærumnam adversam ferant: Qui pericla, damna, incendia peregrè redeuntes semper cogitant, Aut filij peccatum, aut mortem uxoris, aut morbum filie præsumunt: Qui communia quæ sunt, fieri posse statuunt; Ut ne quid animo sit novum. Si vero præter spem quid forte secus eveniat, id omne in lucro esse deputant.

Verum

Verum ut sane illa sunt præceptiones
Et apprimè ad vitam utiles; ita non statim cu-
jusvis stomachi: maximè si tale quid amiseris,
quod animo egregie carum habueris; quod in u-
su vite desideres horis singulis; cuius simile re-
cuperari posse desperes; aut cur id cum pericu-
lo certo in ea re tentes, quæ si quid erratum sit,
pœnitentiam omnem excludat, causis retrahere
sexcentis.

DN. D. HEINIVS certè, orbatus
est; ab quam subito, quam inopinato! non man-
cipio aliquo frugi ac fido, cuiusmodi argento re-
parare queas; non amico sincero, non cognato
benevolo, non filia suavissima, non amantissi-
mo filio: sed uxore, Et ea uxore, cum qua an-
nos viginti vixit suaviter, amanter, tranquil-
lè, quietè: à qua secessionem nunquam fecit;
quæ ipsum obsequio coluit ut patrem, complexa
est ut maritum, fovit ut senem.

Quæ mutua animorum conspiratio ac con-
versationis suavitas, uti in coniugio palmaris-
um est ac precipuum; ita quoq; tantum apud
dn. D. HEINIVM virum humanum, ac vi-
tæ intelligentem valuit, ut quod alioquin mor-
talis

A 3

talis

2

talium concessurus esset nemini, ejus rei gratiam uxori non difficulter fecerit. Etenim cum ille ante aliquot annos accitu Illustrissimi principis VLDARICI, quem honoris causa libenter nomino, cum uxore & familia concessisset in aulam Gustavoianam, ut artem suam factitaret apud ducem laudatissimum & verè Nestora inter principes Germania; sive animum sapientem & cordatum, sive canos venerandos in heroica illa corporis statura consideres. Et vero conjux HEINII nostri, aërem hoc nostro paulo inclementiorem, & victus rationem Megapolitanis usitatam non ferret, indeq; perpetuis fere conflictaretur morbis; eò tandem maritum, qui & ibi libenter esset, neq; sine commodo suo, permovit, ut relicta Megapoli, familiam, sedemq; fortunarum vicissim huc transferret, pæne invito principe, à quo & habitus etiam honorifice, & liberaliter muneratus erat.

Verum ne sic quidem ibi se expediuit penitus; neq; eo pacto valetudinem uxori recuperare firmam potuit. A principe enim illustrissimo ea lege discessit, ut bis quotannis eum reviseret.

Quos

Quos enim dux optimus ac sapientissimus probatae artis ac doctrine viros semel nactus est, haud facile iterum dimittit. Vxorem vero eius in valetudo etiam huc secuta est, pertinax & prope-modum perpetua. Quae sane confecisset agram facile, nisi tanta mariti cura & industria obviam illi itum fuisset: qui quidem corpusculum imbecille & ruinam indies minitans medicamentis efficacissimis tamdiu sustentavit, donec hoc quasi fulcro amoto, penitus fuit collapsum. Commodum enim ille iter ad principem suum ingressus erat, cum illa morbus pristinus, verum solito acrius, quasiq; de industria corripuit ac prostravit. Quare territi amici ac vicini, cum revocandum illum, ut qui vix bidui itinere abesse crederetur, censerent, ipsa sola & obnixè restitit: sive quod de salute sua, quam saepius hoc modo tentatam meminisset, melius speraret: sive quod illum presentem, si quid sibi humanitus accidisset, angere animo nollet.

Omni enim quas oculis cernimus nostrorum afflictiones, ex circumstantijs rerum demittuntur in animos nostros profundius, quam si auditu eas & ex intervallo, percipiamus:
Etsi

Etsi forte clarissimus dn. D. HEINIUS, maxime recente adhuc dolore, aliter sit iudicaturus. Accidet enim discidium hoc procul dubio eo ipsi gravius, quo impensius eam amavit, quo indulgentius habuit, & omni genere officiorum ad supremum usque vite halitum bene de se meritam prosequi voluit.

Verum idem tamen etiam meminerit, nihil ei non modo mali accidisse, sed ex multis, quae nos manent malis, praeceptam esse: translatae ex tempestate in portum, ex dolore in requiem, ex maerore in gaudium, ex tenebris in lucem, veram & perennem: Mortuam esse cum CHRISTO, & in CHRISTO; qui ut in morte non permansit, sic neque hanc perpetuo cineribus obrutum iri: sed cum resuscitato triumphaturam, cum triumphante intraturam juncto corpore & anima, regnum illud, quod ipse ante saecula patris destinavit, paravit, reclusit: Vbi vita erit sine tedio, voluptas sine fastidio, gloria sine invidia: DEVS denique omnia in omnibus, & omnibus omnia.

In quam sententiam adducerem hoc loco
plura,

plura, si adesset is, quem hac tangunt propius,
quemq; dolentem & perturbatum forte non mul-
tis post diebus visuri sumus; quo & sese nostra,
si quid forte in hoc genere possit, reservat oratio.

De natalibus defunctae, dicam hic eo quoq; par-
cius, quod ex programmata modo distributo per-
cipietis, natam eam esse honesto admodum loco, si-
ue paternum, siue maternum genus respicias.

Patrem namq; habuit, virum prudentia
politica, auctoritate & usu rerum praestantem
Dn. GEORGIVM CVNONEM, qui
annis viginti sententiam in senatu apud Gubi-
nenses primo loco dixit, consulatuq; ea dexteritate
ac fide perfunctus est, ut adhuc eo loco viri opti-
mi & bene de patria meriti sancta & desidera-
bilis sit memoria. Qui etsi sexagesimum aetatis
annum, quem pauci contingunt, assecutus fuit:
tamen quod civibus gratus esset, gravis nemini,
diuturniore vita dignus judicatus fuit; si idem
judicasset ille, qui melius quid nobis expediat,
quam nosmetipsi novit & intelligit.

Matre vero nata est ELISABETHA
WALLACHIA (ex relatione enim falsa no-
minis, peccatum in intimatione fuit) Glogouia,
& quidem ex familia celebri ac primaria ortum
B ducente.

ducente. A qua quam sanctè, piè & pudice ad
omnis generis virtutes & officia ac studia mulie-
bria educata fuerit, ostenderunt eius mores, locu-
ta est tota vita, clamat ipsa veritas, in omnium
oculis posita, simplex, nuda, cana, fucum oratio-
nis non desiderans. Virgo enim modestè, ut se-
xum illum decet, vixit, & anno etatis vigesimo
Dn. D. HEINIO in matrimonium data fuit,
cui liberos septem enixa est, de quibus adhuc mas-
culi superant tres, virguncula una: quos ipsa e-
ducavit sollicitè simul & seuerè, & ad pietatem
ac modestiam assuefecit a primis, & in primis,
nihil ab hoc studio remittens, quamdiu vita fuit.

In morbo patienti, constantiq; quoad vires
constitere, fuit animo: illas ubi collapsas ani-
maduertit, hunc tamen non abiecit, sed in eum
coniecit, qui solus vita est nostra, & longitudo
dierum nostrorum. Relictis namq; omnibus mun-
danis, & ne de liberis quidem amplius sollicita,
(utpote quos precibus p[ro]p[ri]is orphanorum patri Deo,
& curæ mariti commiserat) tota se ad CHRI-
STVM conuertit & in eum speravit, dum spi-
rans, victricia nunc & triumphantia eius si-
gna sequatur, ipsa quoq; leta, gaudens, & tri-
umphans

umphant in eo cœtu, quo p̄j omnes aspirant, & ad
quem, ubi fatalis nobis appropinquarit terminus,
colligemur singuli.

Hoc addam quod restat, & huius loco pro-
prium est, Magn. Dn. Rector, viri. Reuerendi,
excellentes, præstantes, iuuenes optimi, nullam
significationem vestrae in demortuam pietatis, in
absentem beneuolentiæ, visum iri viro clarissimo
Dn. D. HEINO ubi redierit, magis prolixam,
& ut in re luctuosa, gratam: quam quod illud i-
psum officium, quod ipse vltimum exhibere defun-
ctæ per absentiam non potuit, à vobis tanto stu-
dio, tamq̄ beneuole ac certatim in ista frequentia
æ celebritate præstitum cognoscet. Gratiam au-
tem, quantam ipse obseruantia, studio, obsequio,
arte, ope, operaq̄ consequi erga vnumquemq̄ pote-
rit, non modo libens vltroq̄, suo singulis loco habe-
bit, aget, referet: Sed ubi se forte parem non esse co-
gnouerit, DEVM optimum maximum, à quo
merito omnes omnia petimus & expectamus, vo-
tis ardentibus rogabit, ut ab ijs qui mariti sunt, si-
mitem fati acerbitatem diu arceat: Vel si quos
forte diuellere consilio suo arcano constituerit; a-
uocato quidem, ἀνάλογον piam ac facilem, supersti-
tiam animum æquum ac presentem benigne largia-

tur; Reliquis vero vitam longam, & quamdiu
scrupulum hunc mortalitatis callem ambulabunt,
quodiam & prosperum rerum omnium successum
tota mente precabitur.

Id quod & ipsius, & suo quoque nomine mis-
santes dolore liberi, & qui adsunt mæsti affines
& propinqui, (quando aliud nunc in promptu
non est) per me libentes profitentur & prolixè
recipiunt. Ite & mercedem interim ab eo expe-
ctate diuitem, qui ut nos celo diuites faceret, ipse
egenus factus est, nunc nullius egens, pollens po-
tensque omnium, & super omnia, benedictus in
sempiterna secula.

D I X I.



153456

ULB Halle 3
002 677 407



VD 77




omnibus. Sanctus sanctus. *In diebus illis*


Qommunicantes et noctem ut dicitur
sacratissimam celebrantes. qua bea-
tissime intemerata virginitas. huius mundi
salvatore. Sed et memoriam venerante-
mus eiusdem gloriose semp vir- ginis mar-
tris eiusdem dei et domini nostri ihesu christi. Sed et
torum apostolorum tuorum *In diebus illis*

Qommunicantes. et diem sacratissimum celebra-
tes. quo unigenitus tuus in tua terra gloria. coele-
stis in veritate carnis nostre visibiliter carnaliter
apparuit. Sed et memoriam *In diebus illis*

Qommunicantes et diem sacratissimum celebra-
tes. quo dominus noster ihesu christus pro nobis est
Sed et memoriam. **H**anc igitur oblationem



8.



ORATIVNCVLA

ex more habita post procu-
ratum funus

feminae honestissimae lectissimaeq;

ELISABETHAE CVNIAE

Vxoris viri clarissimi & excel-
lentissimi

DN. D. IO ANNIS HEINII

*archiatri Illustrissimi principis ac Do-
mini Dn. VLDARICI ducis
Megapolitani. &c.*

BALTHASARE CAMINÆO D.

Feria secunda Paschatos

Anno cld. Id. xclv.

Joan. Caselio B. Caminæus.



Typis Eichornianis.

